

Cambridge University Press

978-1-108-04368-7 - Urkunden Zur Älteren Handels- und Staatsgeschichte Der Republik

Venedig: Volume 3: 1256–1299

Edited by G.L.F. Tafel and G.M. Thomas

Excerpt

[More information](#)

PROMISSIO NARZOTI DE CARC. VERON.

CCCXXXI.

Promissio Narzoti de Carceribus Veronæ, Duci Raynerio Geno facta de faciendo vivam guerram contra Guillelmum de Villarduin, Principem Achadiæ.

A. d. 1256, die 7. m. Januarii.

Autographum archivi Vindobonensis in pergameno, a tergo signatum: 1248. *pactum Narzoti de Carceribus Veronæ tertie partis Nigropontis domini. In Nigroponte actum.* (XVIII.) Altera manu: *Achaïæ Principis pactum pro Nigroponte nr. 48.* Alia denique: *pactum contra Principem Achadiæ.*

Rem ipsam breviter sic enarrat Andreas Dandulus in chronico l. c. p. 363 sq.: *Guilielmus de Villarduin, qui Guifredo fratri in Achaïæ Principatu successerat, Narzotum de Carceribus et Guillelmum de Verona, dominatores Nigropontis, ad se vocavit eosque definuit, postea hostiliter accedens Nigropontem cepit, et Paulum Gradonico Bajulum cum Venetis de urbe expulit; ex quo gravis discordia inter Venetos et ipsum Principem est exorta. Quod Alexander Papa cognoscens, ne Græci in Imperio Romanicæ contra Catholicos potentiores efficerentur, prædictos monuit, ut zelo fidei et Romanæ ecclesiæ reverentia a novitatibus incoeptis desisterent, ut acrius contra eos procedendi materiam non haberet. . . . Anno quarto Dux pro reprimendis offensis sibi a Principe illatis Marcum Gradonico cum VII galeis in Romaniam mittit, et, si civitas Nigropontis recuperari contingeret, illum Bajulum constituit; qui cum dominatoribus territoriorum confoederatus urbem viriliter recuperavit, et plures Nobiles resistentes captivavit.*

De rerum nexu v. Buchon. *éclairciss. hist.* p. 163 sqq.

Nos Narzotus de Carceribus Verone, tertie partis insule Nigropontis dominus, notum facimus universis presentem paginam inspecturis, quod cum nobili viro, Marco Gradonico, de mandato

Cambridge University Press

978-1-108-04368-7 - Urkunden Zur Älteren Handels- und Staatsgeschichte Der Republik

Venedig: Volume 3: 1256–1299

Edited by G.L.F. Tafel and G.M. Thomas

Excerpt

[More information](#)

2

PROMISSIO NARZOTI DE CARC. VERON.

domini Raynerii Geno, Dei gratia incliti Ducis Venetie, pactum et conventionem fecimus in hac forma:

In nomine Dei eterni. Amen.

Anno ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi millesimo ducentesimo quinquagesimo sexto, mense Januarii, die septimo exeunte, indictione quinta decima. NIGROPONTE.

Nos Narzotus de Carceribus de Verona, dominus tertie partis insule Nigropontis, notum facimus omnibus presentem paginam inspecturis, quod per nos et heredes nostros promittimus domino nostro Raynerio Geno, Dei gratia inclito Duci Venetie, Dalmatie atque Croatie, domino quarte partis et dimidie totius Imperii Romanie, et ejus successoribus, et toti civitati Venetie, recipientibus vobis nobilibus viris, domino Marcho Gradonico, de suo mandato Baiulo Nigropontis, et Michaeli Barbadico et Petro Fuscarino, consiliariis, nomine et vice ipsius domini nostri Ducis et comunis Venetie per virtutem et potestatem unius comissionis vobis facte et tradite ab eisdem, cujus tenor inferius continetur, vivam guerram contra dominum Guilielmum de Villarduini, Principem Achadie, et coadjutores suos; et cum eo vel eis non faciemus pacem, treugam, concordiam, pactum seu aliquam conventionem sine verbo et mandato ipsius domini nostri Ducis et comunitatis Venecie, vel Bajuli, qui pro domino nostro Duce esset in partibus istis. Nec etiam tractabimus per nos, seu per aliquam aliam personam tractari faciemus cum dicto Principe Achadie et adiutoribus suis per aliquam formam vel ingenium absque vestra parabola et mandato, ut dictum est supra.

Et debemus facere jurare ad evangelia sancta Dei omnes vasallos et homines nostros de omnibus locis nostris illos, qui nunc sunt, vel pro aliquo tempore erunt, quod per se observabunt omnia supradicta, sicut nos observare tene-mur; et quod dabunt operam toto suo posse, quod nos et heredes nostri observare et attendere debeamus omnia

Cambridge University Press

978-1-108-04368-7 - Urkunden Zur Älteren Handels- und Staatsgeschichte Der Republik

Venedig: Volume 3: 1256–1299

Edited by G.L.F. Tafel and G.M. Thomas

Excerpt

[More information](#)

pacta et conventiones predictas, et non contraire per aliquod tempus.

Et si acciderit, quod nos aut heredes nostri presumeremus ire vel facere contra dominum nostrum Ducem et comunitatem Venecie, seu pacta et conventiones non observare aliquo modo vel forma, dicti vasalli et homines nostri cum dicto domino nostro Duce et comunitate Venecie erunt contra nos et heredes nostros, quousque emendabimus offensas et injurias illatas ad voluntatem rationabilem dicti domini nostri Ducis et comunitatis Venecie, seu Bajuli, qui pro tempore loco ipsius domini nostri Ducis fuerit in partibus istis.

Nos autem Narzotus de Carceribus de Verona per nos et heredes nostros juravimus ad evangelia sancta Dei, ita attendere et observare et non contraire aliquo modo vel forma.

Hec autem predicta et singula predictorum vos, domine Baiule et consiliarii predicti, nomine et vice ipsius domini nostri Ducis et comunitatis Venecie per virtutem comissionis predictae nobis promisistis, quod dictus dominus noster Dux et comunitas Venecie cum suis successoribus sic attendent et observabunt, ut superius denotatur.

Et promisistis, quod dictus dominus noster Dux faciet presentem paginam sui sigilli munimine roborari, et quod faciet omnes Baiulos et consiliarios, qui pro ipso domino nostro Duce ad partes istas advenerint, in introitu sui regiminis ad evangelia sancta Dei jurare, quod omnia supradicta toto suo posse observabunt: tali conditione, quod nos Narzotus, vassalli et homines nostri debemus semper usque ad dictam guerram finitam in introitu Baiulorum et consiliariorum predictorum renovare sacramenta predicta. Et si aliquis vassallorum vel hominum nostrorum non esset in insula Nigropontis, vel esset impeditus, ita, quod predicta sacramenta tunc temporis renovare non

Cambridge University Press

978-1-108-04368-7 - Urkunden Zur Älteren Handels- und Staatsgeschichte Der Republik

Venedig: Volume 3: 1256–1299

Edited by G.L.F. Tafel and G.M. Thomas

Excerpt

[More information](#)

posset, de primo sacramento teneatur, donec ipsa sacramenta renovabit, ut superius continetur.

Tenor comissionis, de qua facta est mencio desuper, talis est:

„Nos Raynerius Geno, Dei gratia Venecie, Dalmacie atque Croacie Dux, dominus quarte partis et dimidie totius Imperii Romanie, notum facimus universis presentem paginam inspecturis, quod per nos et nostrum consilium nomine nostri comunis Venecie de voluntate nostri maioris consilii comittimus nobili viro, Marcho Gradonico, de nostro mandato Baiulo Nigropontis, et nobilibus viris, Michaeli Barbadico et Petro Fuscarenno, ejus consiliariis, fidelibus nostris, et plenam virtutem et potestatem sibi damus auctoritate presentium agendi, tractandi, componendi, pacta et conventiones faciendi et firmandi pro nostro comuni cum nobilibus viris, Guilliemo de Verona et Narzoto de Carceribus de Verona, dominatoribus in Nigroponte, fidelibus nostris, concessionibus, investitiones et promissiones faciendi, atque recipiendi ab eis promissiones et sacramenta pro nobis et comuni Venecie, et generaliter omnia faciendi in predictis et circa predicta, que fuerint opportuna; promittentes nomine nostri comunis Venecie, firmum et ratum habere, quicquid dictus Baiulus et consiliarii vel maior pars eorum¹⁾ in predicta duxerint faciendum.

Et ut hec nostra comissio firmitatem obtineat, eam nostro sigillo fecimus comuniri.

Data in nostro Ducali palatio, anno Domini millessimo ducentissimo quinquagesimo sexto, indictione quinta decima, die secundo intrante, mense Octubris.“

Et ut hec promissio robur plene obtineat firmitatis, ipsam nostro sigillo fecimus sigillari et per manum publicam roborari.

¹⁾ Diploma: *Baiulus vel maior eorum* [pars] et consiliarii.

Cambridge University Press

978-1-108-04368-7 - Urkunden Zur Älteren Handels- und Staatsgeschichte Der Republik

Venedig: Volume 3: 1256–1299

Edited by G.L.F. Tafel and G.M. Thomas

Excerpt

[More information](#)

PROMISSIO NARZOTI DE CARC. VERON.

5

Testes fuerunt:

dominus Guillielmus de Rocha,

dominus Villigordus,

Franciscus de Verona,

Petrus Bosius,

Zufredus de Parma,

Phylipus Sanuto,

Vitalis Cornario,

Phylipus de Molino,

Johannes Sanuto,

et alii plures.

Actum in NIGROPONTE, in maiori domo comunis Venecie, que
condam fuit domini Ravani de Carceribus de Verona.

Sciendum est, quod, licet dicatur superius in dicto pacto,
quod dominus Dux et comune Venecie debent facere vivam
guerram contra dictum Principem et coadjutores suos, hoc fieri
et intelligi debet tantum in Imperio Romanie et contra coadiu-
tores suos, hec fieri et intelligi debent solum contra illas perso-
nas, que venient et stabunt cum dicto Principe contra nos.

Item, licet quod dicatur superius in dicto pacto, quod
dominus noster Dux et comune Venecie non debent tractare
cum dicto Principe seu coadjutoribus suis per se, seu per
aliquam personam tractari facere sub aliquo modo, forma vel
ingenio, sine nobis et nostro verbo, tamen licitum sit domino
nostro Duci et comuni Venecie inquirere et tractare, audire et
intelligere de facto pacis; sed non debeant facere nec firmare
sine nobis et nostro verbo. Sed Baiulus et consilarii Nigro-
pontis, fideles sui, non debeant tractare nec tractari facere sine
nobis vel nostro verbo; ymmo teneantur inde, sicut superius
continetur.

Unde ad petitionem nobilis viri, Andree Barotii, de man-
dato domini nostri Ducis nunc Bajuli Nigropontis, et nobilium
virorum, Pangracii Barbo et Marci Premarino, consiliariorum

Cambridge University Press

978-1-108-04368-7 - Urkunden Zur Älteren Handels- und Staatsgeschichte Der Republik

Venedig: Volume 3: 1256–1299

Edited by G.L.F. Tafel and G.M. Thomas

Excerpt

[More information](#)

6

PROMISSIO NARZOTI DE CARC. VERON.

ejus, predictam conventionem et pactum ratificantes, fecimus nostro sigillo pendenti muniri et manu publica muniri, eurrente millesimo ducentesimo anno quinquagesimo octavo, indictione prima, die Mercurii VI intrantis Augusti, presentibus:

domino Guilielmo de Rocha,

domino Villigordo,

domino Francisco de Verona,

domino Jacobo Dandulo et domino Phylippo Belegno,

ambaxatoribus in Romaniam;

domino Martio de Zuglano, Potestate in Nigroponte.

domino Lazaritiorum,

domino Danielle Paizi,

domino Johanne Sanuto,

domino Guidone de Generenis,

domino Danielle Suēm (sic) de Verona¹),

domino Nicola de Limine,

domino Butarello de Carceribus de Verona.

et aliis.

Actum in NIGROPONTE, in cancellaria comunis Venecie.

Ego quidem Gualfredinus de Rolando Petri Ellice, sacri Imperii notarius, ad petitionem nobilis viri, domini Victoris Delfini, de mandato domini Ducis Venecie Baiuli Nigropontis et s[uorum] c[onsiliariorum] Johannis Viglōi (sic) et Phylipi de Equillo, hoc exemplum ex auctentico facto (*factum?*) per manum Zamboni de Cariolla, domini Federici secundi, Romani Imperatoris, notarii, et sigillo cereo integro dicti domini condam Narzoti munitum vidi, legi et cum diligentia exemplavi bona fide, sine fraude, nil addens nec minuens, quod sententiam mutet; complevi meoque sigillo roboravi, eurrente anno Domini millesimo CCLXXV, ind. III^a, XI intrante, Madio.

Actum in NIGROPONTE in domibus, ubi dictus Bajulus habitat.

¹) Suberit: Sucerino s. Sucerino, coll. infra p. 11.

Cambridge University Press

978-1-108-04368-7 - Urkunden Zur Älteren Handels- und Staatsgeschichte Der Republik

Venedig: Volume 3: 1256–1299

Edited by G.L.F. Tafel and G.M. Thomas

Excerpt

[More information](#)

PROMISSIO GUILLIELMI VERON.

7

CCCCXXII.

**Item alia promissio Guillielmi, prefato domino Duci facta de faciendo
vivam guerram contra dominum Guilielmum de Villaarduin, Principem
Achadie.**

A. d. 1256, die 7. m. Januarii.

Liber Albus fol. 104 eâ. quæ antecedit. inscriptione. Liber
Pactorum IV, 306.

Nos Guilielmus de Verona, dominus tercię partis insule
Nigropontis, notum facimus universis, presentem paginam inspe-
cturis, quod cum nobilli viro, Marco Gradonico, de mandato
domini Raynerii Geno, Dei gratia incliti Ducis Venecie, pactum
et conventionem fecimus in hac forma:

In nomine Domini nostri Dei eterni. Amen. Ab incarnatione
Domini nostri Jhesu Christi millesimo CC quinquagesimo sexto.
mense Januarii, die septimo exeunte, indictione quintadecima.
NIGROPONTE.

Nos Guilielmus de Verona, dominus tercię partis insule
Nigropontis, notum facimus universis presentem paginam
inspecturis, quod per nos et heredes nostros promittimus domino
nostro Raynerio Geno, Dei gratia inclito Duci Venecie, Dalma-
cie atque Chroacie, domino quarte partis et dimidie tocius
Imperij Romanie, et eius successoribus, et toti comunitati
Venecie, recipientibus vobis domino Marco Gradonico, de suo
mandato Baiulo Nigropontis, Michaeli Barbadico et Petro
Fuscarino, consiliariis, nomine et vice ipsius domini nostri
Ducis et comunitatis Venecie, per uirtutem et potestatem unius
comissionis vobis facte et tradite ab eisdem. cuius tenor infe-
rius continetur, facere viuam guerram contra dominum Villiel-
mum de Villarduin, Principem Achadie, et coadiutores suos,
et cum eo uel eis non faciemus pacem, treugnam, concordiam,
pactum seu aliquam conuentionem sine uerbo et mandato ipsius
domini nostri Ducis et comunitatis Venecie. uel Baiuli, qui pro

Cambridge University Press

978-1-108-04368-7 - Urkunden Zur Älteren Handels- und Staatsgeschichte Der Republik

Venedig: Volume 3: 1256–1299

Edited by G.L.F. Tafel and G.M. Thomas

Excerpt

[More information](#)

8

PROMISSIO GUILLIELMI VERON.

domino nostro Duce esset in partibus istis. Nec etiam tractabimus per nos, seu per aliquam aliam personam tractari faciemus cum dicto Principe Achadie et coadiutoribus eius per aliquam formam uel ingenium absque vestra parabola et mandato, ut dictum est supra.

Et debemus facere iurare ad euangelia sancta Dei omnes uasallos et homines nostros de omnibus locis nostris illos, qui nunc sunt uel pro tempore erunt, quod per se obseruabunt omnia supradicta, sicut nos obseruare tenemur. Et quod dabunt operam toto suo posse, quod nos et heredes nostri obseruare et attendere debeamus omnia pacta et conuentiones predictas, et non contraire per aliquod tempus.

Et si accideret, quod nos aut heredes nostri presumeremus [*fire*] uel facere contra dominum nostrum Ducem et comunitatem Venecie, seu pacta et conuentiones non obseruare aliquo modo uel forma, dicti uasalli et homines nostri cum dicto domino nostro Duce et comunitate Venecie contra nos et nostros heredes erunt, quousque emendabimus offensas et iniurias illatas ad uoluntatem rationabilem dicti domini nostri Ducis et comunitatis Venecie seu Baiuli, qui pro tempore loco ipsius domini nostri Ducis fuerit in partibus istis.

Nos autem Guilielmus de Verona per nos et heredes nostros iurauimus ad sancta Dei euangelia, ita attendere et obseruare. et non contraire aliquo modo uel forma.

Et ad maiorem firmitatem dare debemus dicto domino nostro Duci vnum ex filiis nostris pro obside, recipientibus uobis dominis Baiulo et consiliariis predictis, sicut continetur in pacto maiori, usque ad guerram finitam. Finita uero guerra predicta dictum filium nostrum dictus dominus noster Dux et comune Venecie absque Dei impedimento nobis dare et reddere debet.

Hec autem predicta et singula predictorum, uos domini Baiule et consiliarij predicti, nomine et uice ipsius domini nostri Ducis et comunitatis Venecie per uirtutem comissionis predictae

Cambridge University Press

978-1-108-04368-7 - Urkunden Zur Älteren Handels- und Staatsgeschichte Der Republik

Venedig: Volume 3: 1256–1299

Edited by G.L.F. Tafel and G.M. Thomas

Excerpt

[More information](#)

nobis promisistis, quod dictus dominus noster Dux et comunitas Venecie cum suis successoribus sic attendent et obseruabunt, ut superius denotatur.

Et promisistis, quod dictus dominus noster Dux faciet presentem paginam sui sigilli munimine roborari; et quod faciet omnes Baiulos et consiliarios, qui pro ipso domino Duce ad partes istas aduenerint, in introitu sui regiminis ad euangelia sancta Dei iurare, quod omnia supradicta toto suo posse obseruabunt, tali condictione, quod nos Guilielmus, vassalli et homines nostri debemus semper usque ad dictam guerram finitam in introitu Baiulorum et consiliariorum predictorum renouare sacramenta predicta. Et si aliquis vassallorum uel hominum nostrorum non esset in insula Nigropontis, uel esset impeditus, ita, quod predicta sacramenta tunc temporis renouare non posset, de primo sacramento teneatur, donec ipsa sacramenta renouabit, ut superius continetur.

Tenor comissionis, de qua superius facta est mentio, talis est:

„Nos Raynerius Geno, Dei gratia Venecie, Dalmacie atque Chroacie Dux, dominus quarte partis et dimidie totius Imperij Romanie, notum facimus vniuersis presentem paginam inspecturis, quod per nos et nostrum consilium nomine nostri comunis Venecie de uoluntate nostri maioris consilii comittimus nobilli viro, Marco Gradonico, de nostro mandato Baiulo Nigropontis, et nobilibus uiris, Marco Barbadieo et Petro Fuscario, eius consiliarijs, fidelibus nostris, et plenam uirtutem et potestatem sibi damus autoritate presentium agendi, tractandi, componendi, pacta et conuentiones faciendi et firmandi pro nostro comuni cum nobilibus uiris, Guilielmo de Verona et Narzoto de Carceribus de Verona, dominatoribus in Nigroponte, fidelibus nostris, concessionibus, inestitionibus et promissionibus faciendi, atque recipiendi ab eis promissiones et sacramenta pro nobis et comuni Venecie, et generaliter omnia faciendi in predictis et circa

Cambridge University Press

978-1-108-04368-7 - Urkunden Zur Älteren Handels- und Staatsgeschichte Der Republik

Venedig: Volume 3: 1256–1299

Edited by G.L.F. Tafel and G.M. Thomas

Excerpt

[More information](#)

predicta, que fuerint oportuna; promittentes nomine nostri comunis Venecie, ratum et firmum habere, quicquid dictus Baiulus et consiliarii uel maior pars eorum in predictis fuerit (l. *duxerint*) faciendum.

Et ut hec nostra comissio firmitatem obtineat, eam nostro sigillo fecimus comuniri.

Data in nostro Ducali palatio, anno Domini millesimo ducen-
tissimo quinquagesimo sexto, indictione quinta decima, die
secundo intrante, mense Octubris.“

Et ut hec promissio robur plene obtineat firmitatis,
ipsam nostro sigillo fecimus sigillari et per manum publicam
roborari.

Testes fuerunt:

dominus Guilielmus de Rocha¹⁾.

dominus Villegordus,

Franciscus de Verona,

Petrus Bosius,

Zufredus de Parma,

Phylipus Sanudus,

Vitalis Cornario,

Phylipus de Molino,

Johannes de Sanuto²⁾,

et alii plures.

Actum in NIGROPONTE in maiori domo comunis Venecie, que
condam fuit domini Rauani de Carceribus Verone.

Sciendum est, quod, licet dicatur superius in dicto pacto,
quod dominus Dux et comune Venecie debent facere uiuam
guerram contra dictum Principem et coadiutores suos, hoc fieri
et intelligi debet tantum in Imperio Romanie et contra coadiu-
tores suos, hec fieri et intelligi debent solum contra illas per-
sonas, que uenient et stabunt cum dicto Principe contra nos.

¹⁾ de Rochis LP.

| ²⁾ Joh. Sanudus LP.